

sed etiam existentiam suam communicat toti, et partibus, et eandem existentiam defert secum quando est separata, licet in illo statu non sit esse hominis, sed esse spiritus, quia ibi illi non est esse communicatum corpori, et constituens hominem, sed separatum.

EXISTENTIA EST SIMPLICITER PERFECTIOR ACTUALITAS, QUAM ESSENTIA.

XVII. Hæc difficultas solum habet locum in opinione distinguendum essentiam realiter ab existentia, qui enim dicunt esse idem non possunt comparationem facere inter unum et alterum, cum non inveniatur ibi unum, et alterum. Igitur in hac opinione quidam ex Thomistis tenent existentiam ex suo genere esse perfectiorem quam essentiam, de quo Bagnez in præsentibus; Navarrete, controversia xiv; Ledesma, q. xii de esse Dei, et alii. Quidam contra dicunt existentiam esse simpliciter imperfectiorem essentia, sumendo tamen essentiam non in statu possibilitatis, sic enim est nihil, sed in statu productionis, itaque posito statu extra causas qui quidem habetur per existentiam, et comparando in hoc statu essentiam, quæ est res habens illum, et existentiam quæ est ratio dandi hunc statum, dicunt perfectiorem esse essentiam quam existentiam. Quam sententiam plures defendunt et novissime magister Biescas, 1 p. q. iii, art. iv, dub. xii, sed tamen ejus fundamentum supra rejectum est, quia existimat existentiam quæ est distincta ab essentia non constituere essentiam in actu extra causas, hoc enim inquit convenire essentia ratione suæ propriæ entitatis actualis, existentiam vero constituere rem non absolute extra causas, sed in ratione essendi per se, vel in alio ut affirmat infra,

q. iv, art. i, dub. iii, sed hoc est confundere existentiam cum subsistentia, vel inhærentia et actualitatem qua res est extra causas non distinguere ab ipsa essentia: hoc autem est quod intendit opposita sententia, et non amplius; sumit enim existentiam pro actualitate essendi per se, vel in alio, et ita convenit cum hac sententia in non distinguendo illam ab essentia, hoc autem supra rejecimus, et amplius sequenti disputatione attingetur.

XVIII. Pro resolutione, ergo oportet advertere ex Cajetano, infra q. vii, art. i, quod aliter se habet actualitas formæ, et actualitas esse, seu existentia, nam forma est actus constituens aliquid in determinato genere, et specie, et sic ex sua propria ratione habet terminos suæ determinatæ perfectionis; at vero esse seu existentia ex suo proprio, et formali conceptu non est forma constituens in specie vel genere determinato, sed rem constitutam extra causas ponens, quod quidem actualitas est, et consequenter perfectio, sed quod sit tanta vel tanta perfectio mensuranda est, et desumenda ex ipsa natura, et essentia cui alligatur v. g. existentia hominis est perfectior, quam existentia lapidis perfectione, et limitatione desumpta ex natura, cujus est existentia. De suo enim conceptu existentia solum dicit actualitatem removentem potentialitatem qua aliquid est intra causas, et sic ponit extra illas non vero constitutionem aliquam ex genere, et differentia quod pertinet ad quidditatem; existentia autem est actualitas extra ipsam quidditatem, quia cum nulla re creata dicit essentialem connexionem, sed ex sola libera Dei participatione convenit. Ex quo fit quod determinatio perfectionis quæ invenitur in existentia non debet sumi penes proprium genus, et

differentiam ejus, qui sunt termini intrinseci quidditatis, sed penes ordinem ad subjectum quod afficit, quia ut dicemus quæstione septima omnis forma, seu natura solum ex duplici capite potest limitari, et determinari in sua perfectione, vel penes terminos intrinsecos quibus constituitur quidditas, ratione cujus una species differt ab altera in perfectione, quia habet perfectius genus, vel perfectiorem differentiam. Alio modo limitatur forma, et determinatur ex ordine ad subjectum in quo recipitur, unumquodque enim recipitur ad modum recipientis, sicut albedo minus perfecte est in homine quam in nive ex diverso modo recipientium. Cum ergo existentia non possit primo modo determinare, et limitare suam perfectionem tamquam aliquid per se positum in prædicamento secundum determinatum genus, et differentiam, quia potius est actualitas nulli enti creato essentialiter conveniens, restat ut secundo modo ejus perfectio limitetur, et determinetur tamquam reductum ad illud prædicamentum, seu ad illud genus, et speciem essentia in qua recipitur.

XIX. Hoc suppositio, respondetur quod si existentia consideretur ex suo genere, et ex præciso conceptu suæ actualitatis quæ est ponere rem extra causas, omisso omni eo a quo limitatur, et recipitur, quod est ei extraneum, existentia est perfectior essentia, quia comparatur ad essentiam sicut actus secundus ad actum primum, ut D. Thomas dicit in iii ad Annibaldum, distinct. vi, quæstione unica, art. ii. Cæterum si consideretur existentia secundum suam specificam, et determinatam perfectionem, quam participat ab essentia cujus est existentia, sic non est dubium, essentiam esse perfectiorem, quia specificatio ipsa, et deter-

minata perfectio habetur participative in existentia, essentialiter in ipsa essentia. Et juxta hanc duplicem considerationem invenitur aliquando in Div. Thoma quod esse est perfectissimum, et formalissimum inter omnes actualitates, ut docet qu. vii de potentia, artic. ii ad ix et in hac 1 p. quæst. iv, artic. i ad iii et artic. ii ad i, quæst. vii, artic. ii et quæst. ix, artic. i. Et ratio est jam supra tacta, quia esse est actus secundus, et ultimus in genere entitativo, omnes autem aliæ formæ se habent, ut actus primus, et in potentia ad existentiam: omnes enim formæ seu naturæ creatæ sunt in potentia ad esse, et possunt transire de non esse ad esse, et in tantum sunt in statu imperfectionis in quantum carent aliquo esse, seu existentia, id est, in quantum nondum habent actu aliquid quod possunt habere. Tunc autem aliquid est actu perfectum quando habet existentiam actualem suæ naturæ vel ejus rei seu perfectionis, quam postulat habere: est ergo existentia ultima actualitas quæ in unaquaque re desideratur, et sic omnis forma perficitur, et actualitur ultimo per existentiam: ergo existentia in ratione actualitatis perfectior est omnibus formis, si quidem omnes eas actualat.

XX. Nec potest dici, quod esse existentia est perfectior omnibus formis perfectione secundum quid, quia modo accidentali actualat illas, sicut etiam accidentia actualant substantiam, et substantia est in potentia ad illa non tamen accidentia sunt perfectiora, quam substantia. Deinde, ad Thomam respondent aliqui, quando dicit, quod esse est perfectissimum, et actualissimum omnium loqui de esse non pro sola existentia, sed prout etiam includit essentiam in actu productam, et sic comparavit esse cum existentia ad ipsam essentiam in statu possibilitatis.



tis, et sic non est dubium, quod est perfectior illa, non tamen comparavit D. Thomas existentiam cum essentia actuali, quæ illi subicitur in actu, quando dixit existentiam esse perfectiorem. Vel tertio dici potest quod si comparemus existentiam creatam ad essentiam creatam, talis existentia intrinsece est limitata, et consequenter est imperfectior essentia ut mox dicemus: si autem sumatur existentia pro existentia divina, quam certum est esse perfectiorem quacumque essentia creata. Ergo non est locus affirmandi existentiam aliquam in singulari et determinate esse perfectiorem essentia, loquendo de existentia creata.

Ad primam instantiam respondetur existentiam non se habere tamquam accidens prædicamentale, ut jam supra diximus, licet sit accidens prædicabile, quia contingenter dicitur de quacumque re creata. Unde formæ, et naturæ, quæ sunt in potentia ad existentiam, non sunt in potentia ad illam tamquam ad actualitatem secundum quid, sicut substantia ad formas accidentales quas sustentat, quia tales formæ accidentales supponunt subjectum habere esse simpliciter, remanere autem in potentia ad formam, a qua non habent esse simpliciter, sed esse superadditum ad proprium esse, et tale est secundum quid. At vero ad existentiam substantialem, ita comparatur forma, seu natura, quod remota existentia nullum esse habet, et per illam habet esse simpliciter, remotis autem accidentibus adhuc habet esse simpliciter. Male ergo dicitur quod essentia est in potentia ad existentiam tamquam ad actualitatem secundum quid.

XXI. Ad secundam instantiam dicitur illam explicationem non salvare sensum D. Thomæ. Tum quia dicit, quod esse est actualitas om-

nium rerum etiam ipsarum formarum, et omnium actualitatum, ut patet in locis supra allegatis: si autem sumit esse prout includit essentiam, et existentiam non potest fieri prædicta comparatio, ut sit actualitas omnium actualitatum, et formarum, quia non remanet præter existentiam, et essentiam aliquid respectu cujus existentia dicatur actualitas, nisi tantum respectu status possibilitatis, ad quod non requiritur quod aliquid sit perfectissimum, et formalissimum, nam minima entitas quantumcumque imperfecta hoc ipso, quod producit est perfectior omni re, et forma possibili, et tamen non propterea verificamus, quod quælibet minima entitas est actualitas omnium actualitatum, et formalissimum inter omnes formas. Tum etiam quia dicit D. Thomas quod hoc quod vocat perfectissimum, et actualissimum omnium non est recipiens, sed receptum in essentia, ut esse hominis est receptum in homine, ut patet infra quæst. iv, art. i ad iii, sed in essentia possibili non recipitur existentia, sed in essentia producta, et subjecta ipsi existentia, et posita extra causas per ipsam, sicut anima recipitur in corpore organizato, et formato per ipsam, est enim actus corporis organici, et sine anima organicum non est nisi æquivoce, sicut corpus mortuum, aut statua; ergo non comparat D. Thomas existentiam, et essentiam ad formas posibles, sed ad productas, id est, subjectas ipsi existentia mediante productione. Denique, Div. Thomas comparat actualitatem existentia ad alias formas, et dicit quod ipsum esse est omnium actualissimum, ut ex hoc colligat Deum esse infinitum in essendo, quia est ipsum esse sine receptione in aliquo, ut patet infra quæstione septima, articulo primo; si autem loqueretur

de esse essentia, et existentia simul respectu formarum possibilium non posset colligere hanc infinitatem divini esse, tum quia comparatione ad res posibles quælibet essentia, et quælibet existentia est perfectior omni re in statu possibili: unde ex perfectione ipsius esse, et actualitate ejus super omnes alias formas non colligeret summam, et infinitam perfectionem divini esse, quia ut sit perfectius formis possibilibus, ut præcise sunt in statu possibilitatis non indiget infinita perfectione, sed solum poni extra nihil: tum quia D. Thomas colligit infinitam perfectionem in Deo, etiam respectu omnium existentium: imo etiam si omnia possiblea existerent, adhuc Deus esset perfectior illis. Respectu autem existentium non potest fieri illa comparatio quod esse sit actualius, et perfectius omni forma nisi distinguendo inter existentiam quæ est perfectior, et essentiam, quæ non est ita perfecta; ergo sine dubio D. Thomas accipit existentiam prout distinguitur ab essentia quando illam dicit esse perfectiorem.

XXII. Ad tertiam instantiam dicitur quod loquimur de existentia creata, sed in illa distinguimus duplicem conceptum, scilicet id quod ex suo genere præcise dicit, id est, actualitatem non constituentem naturam, sed ponentem extra causas, et id quod habet ex participatione essentia, et naturæ cujus est existentia, ut v. g. quod sit existentia humana vel angelica, sicut si in calore distingueremus perfectionem, quam habet ex genere suo, vel quam habet ex participatione, vel receptione in tali subjecto v. g. in igne, vel in animali, et secundum primam considerationem dicimus existentiam esse actualitatem de se perfectiorem quam essentia, juxta secundam vero non, quia ab ea habet talem

participationem ut jam dicimus.

XXIII. Quoad secundam partem probatur conclusio nostra, quia sæpe D. Thomas affirmat quod esse ut participatum in essentia talis vel talis speciei habet imperfectionem juxta modum illius, ut dicit 1-2, q. ii, art. v ad ii: « Quod si consideretur ipsum esse prout participatur in hac re vel in illa quæ non capiunt totam perfectionem essendi, sed habent esse imperfectum sicut est esse cujuslibet creaturæ, sic manifestum est quod ipsum esse cum perfectione superaddita est eminentius. » Et in quæstione xx de veritate, art. ii ad iii et in hac parte quæst. iv, art. ii ad iii docet ex D. Dionysio: « Quod licet ipsum esse sit perfectius quam vita, et ipsa vita, quam ipsa sapientia si considerentur secundum quod distinguuntur ratione, tamen vivens est perfectius, quam ens tantum, quia vivens etiam est ens, et sapiens est ens et vivens. » Denique, secundum D. Thomam essentia, seu forma se habet ut principium, et ratio existentia: existentia vero ut effectus, et complementum ejus ut docet i par. quæst. xlii, art. i ad primum et q. l, art. v et 1-2, q. cxi, art. ii, impossibile est autem quod id quod se habet ut effectus et accessorium seu complementum alterius sit perfectius suo principali. Cum ergo ratio specifica, et essentialis sit per se, et principaliter in ipsa natura oportet, quod existentia quæ solum participative, et accessorie participat perfectionem specificam essentia, secundum hoc imperfectior sit illa.

XXIV. Sed ex hoc videtur fieri argumentum ad probandum quod simpliciter essentia sit perfectior existentia, etenim perfectio simpliciter sumitur ex ipsa ratione essentiali, et quidditativa rei, in se enim consideratur excessus perfectionis unius super aliud, constat autem quod essentia-



lis perfectio sumitur ab essentia non ab existentia : unde perfectior dicitur homo quam lapis ratione essentiae in qua illum excedit, Petrus autem existens non dicitur excedere Paulum non existentem sicut homo excedit lapidem : ergo solus excessus existentiae non est major, quam excessus inter duas essentias distinctae speciei : ergo signum est existentiam non esse perfectiorem essentia. Confirmatur, quia alias essentia simpliciter ordinatur ad existentiam ut ad perfectiorem, non existentia ad essentiam, et sic quando Verbum divinum assumpsit naturam humanam, et non existentiam assumpsit quod erat imperfectius, scilicet existentiam. Confirmatur secundo, quia ab essentia sumitur operatio, ejusque nobilitas, et ideo operatio naturae intellectivae est perfectissima, ab existentia vero non sumitur operatio, nec nobilitas rei, est enim communis omni enti quantumcumque infimi gradus. Similiter potentia illa est altior, et perfectior, quae magis abstrahit ab existentia, sicut intellectus est nobilior voluntate, quia intellectus non dependet ab existentia sicut voluntas, quae solum respicit esse, nec ab illo abstrahit : ergo essentia est perfectior existentia. Denique, impossibile est quod aliquid ex genere suo, sit nobilius altero, et ex specie sua imperfectius, ergo si existentie est nobilior ex genere suo, non potest ex specie esse imperfectior essentia.

XXV. Respondetur perfectionem, et nobilitatem rei dupliciter attendi, uno modo secundum graduationem genericam, et specificam, secundum quam naturae creatae habent suam in aequalitatem, et una est altera melior, et perfectior. Alio modo sumitur perfectio, et nobilitas non secundum latitudinem graduaalem intra genus, vel speciem, sed in ipso genere entis secundum quod actuali-

tas entis ut est ens opponitur potentialitati, qua aliquid est intra causas, et in statu possibilitatis, quod est potius nobilitas status, quam graduationis. Et primo modo nobilitas, et perfectio sumitur penes formam constitutivam rei ipsique essentialem, et intrinsecam. Secundo vero modo penes actualitatem terminativam, non constitutivam rei. Sed tamen tota perfectio essentialis, et constitutiva est in potentia, et perficitur per actualitatem existentiae terminativam, quia per illam ponitur extra causas, et sine ipsa est nihil. Unde habet se ad ipsam, sicut actus primus ad secundum, et sicut actualitas determinati generis ad actualitatem in toto genere entis. Dicemus ergo quod perfectio essentialis dicitur perfectio simpliciter intra latitudinem sui generis, et in ratione perfectionis gradualis, et specificae, non autem in genere entis simpliciter. Unde existentia ex formali ratione sui conceptus excedit actualitatem essentiae sicut actualitas in toto genere entis actualitatem determinati generis, et sicut actus secundus actum primum. Si vero consideretur existentia ut participat ipsam rationem determinatam, et specificam qua existentia limitatur ab essentia, in qua subjectatur sic est inferior ad essentiam, utpote ab ea accipiens specificam limitationem suam. Quare dicimus differentiam, et inaequalitatem perfectionis in rebus creatis principaliter desumi ex nobilitate, et actualitate essentiae, sicut homo est nobilior lapide, hoc tamen pertinet ad perfectionem graduaalem secundum diversam specificationem. At vero perfectio existentiae non pertinet ad graduationem, et specificationem, sed ad rationem actualitatis ultimae, et per modum actus secundi entitativi ad ponendum rem extra nihil,

et extra statum possibilitatis ratione ejus, Paulus existens, et Petrus non existens plus differunt in ratione entis, licet in ratione gradus specifici secundum se, et abstrahentis ab existentia minus differant.

XXVI. Ad primam confirmationem respondetur essentiam ordinari ad existentiam sicut actum primum ad secundum in generi entis, licet existentia subordinetur essentiae in genere limitationis, et specificationis. Verbum autem divinum assumpsit id quod erat perfectius in genere naturae, et essentiae, tribuit autem id quod erat perfectius in genere entis formalis, et actualis, scilicet existentiam.

XXVII. Ad secundam confirmationem respondetur ex dictis nobilitatem operationis et naturae sumi penes perfectiones essentielles, quia totum hoc pertinet ad perfectionem graduaalem, et specificam, quam sequitur operatio. Existentia vero solum tribuit nobilitatem, et perfectionem in ipso formali genere entis, quatenus scilicet omnem illam perfectionem essentiae, et naturae, sive sit infima, sive sit suprema ponit extra nihil, et extra causas: quia omnis illa perfectio nihil est. Ad id vero quod dicitur esse perfectiorem potentiam, quae magis abstrahit ab existentia, respondetur non esse perfectiorem, quia abstrahit ab existentia secundum se, sed quia abstrahit a conditionibus, quae ad exercitium existentiae requiruntur; ita quod non limitatur ad attingendum objectum sub illis, et non aliter. Caeterum intellectus, qui considerat objecta sua independenter ab istis conditionibus, etiam considerat existentiam, sed non dependenter ab exercitio ejus, sed secundum se ut quaedam perfectio, et actualitas est, et in hoc ordine perfectior, et formalior est abstractio existentiae,

quam essentiae, quia est universalior in ratione actualitatis, a majori enim potentialitate abstrahit secundum se, quia potentialitas ad existentiam reddit rem in statu possibilitatis, et nihil, a qua potentialitate non abstrahit essentia secundum se.

XXVIII. Ad id vero quod dicitur de perfectione generis respondetur quod id quod per se, et ex proprio conceptu ponitur in genere, per se contrahitur ad speciem, si habet genus perfectius, etiam et speciem per se loquendo, quia species radicatur in genere. Caeterum existentia non dicitur ex genere suo perfectior quasi habeat genus determinatum, et graduale ex se, cum per omnia genera entis inveniatur, sed ex se est actualitas universalissima entis, et sic dicitur sumi in genere, determinatur autem seu potius limitatur non per contractionem ad speciem, sed per receptionem in subjecto, formae autem per receptionem limitantur quae abstractae perficiuntur, ut infra disputatione VII dicitur.

XXIX. Restabat agere in praesenti, an solus Deus sit principalis causa existentiae, an etiam causa creata? Sed de hoc agetur commodius infra quaestione VIII, artic. I. De causa autem materiali existentiae quomodo sit ipsum suppositum, et vere ac proprie recipiatur in ipsa re existente, quomodo etiam accidens habeat distinctam existentiam a substantia, non tamen receptam in ipso accidente, sed in supposito a quo sustentatur, nisi separaretur a Deo a suo subjecto, satis constat in hoc articulo et in praecedenti in fine.

#### ARTICULUS V.

*An recte probaverit Divus Thomas Deum non poni in genere?*

I. Nominales aliquos sensisse Deum poni in praedicamento plures